



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Wulphrannus Ep. 20. Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

20. Mart.

VITÆ SANCTORVM.

153

statim anno libentiùs infulam posuit, quàm sumpsit. Mira quæ patravit plurima alia narrant, & inter hæc feras abactas à pascuis, ab agris aves, ex corporibus tortores dæmonas, corpus quoque ejus post annos quadringentos decemque & octo integrum mirantur. At me judice majus miraculum tu facies juvenus, si vel pauculos illos annos, quibus vives, integrū corpusculū servabis. *Ex Bedâ.*

O quàm compositum reddit omnem corporis statum, nec non & mentis habitum disciplina! cervicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, gulam frenat, iram sedat, format incessum. S. Bern. in Ep. ad Soph. V.

S. WULPHRANNUS EP. 20. Martii.

WULPHRANNUS est Senonum Pont. idemque Frisiorum Apostolus. Ad hos cum mari contenderet, & Ministro sacer calicis orbis imprudenti in undas excidisset, jussit brachium hunc in aquas tendere. Tendenti continuo orbis, spectatores Christo adhæserunt. Morem vel Gente suâ barbarum magis, quo victima Dñs improbis juvenus innocens cadebat, non uno miraculo antiquavit. Nam & suspensum puerum à laqueo absolvit, &, ut geminis aliis, qui mari exæstuanti præda expositi fuerunt, succurreret, sicco pede undas perambulavit, & dextrâ hunc, illum sinistra molliter prehenso ad litus eduxit, mox meliore aquâ, & Christiano ex more merfos matri restituit incolumes. Atque his miris filium etiam Ducis Radbodi ad Christum pertaxit, sed non Radbodum ipsum. Nimirum jam sacris undis etiam iste admo vendus, cum ex WULPHRANNO intellexisset, Majores suos, Ducesque Frisonum omnes

G 5

(qui

(qui quidem superstitioni dediti fuissent) inferis damnatos esse, exclamavit improbo joco, malle se cum pluribus & Majoribus suis etiam apud inferos, quàm sine his, & cum pauculis aliis apud Superos degere. In hâc sententiâ ludibria dæmonis mali firmarunt, qui aureos illi montes, certè aurea palatia pollicitus est. Et jam iverat legatus à Radbodo missus, qui Deorum munera inspiceret: jam inspecta probaverat oculus fascinatus, cum socius, quem **WVLPHRANNVS** addidit, vana ædificia unico signo crucis omnia destruxit. Radbodus intereà prius, quàm nuntii redirent, ad illos suos plures abiit. *Ex Lippeloo.*

Renovetur cor à carnalibus desideriis, ut exclusis illis introducatur amor Dei & amor patriæ celestis: recedant ab ore arrogantia & derogatio, & succedant peccatorum confessio & bona de proximis æstimatio; assumatur continentia & innocentia, ut contrariis virtutibus contraria vitia depellantur. S. Bern. sent.

B. AMBROSIUS SANSEDONIUS C.
20. Martii.

SENIS ORTUS **AMBROSIUS SANSEDONIUS** natalem noctem communem cum **D. Thoma & Jacobo Mevaniensi** habuit. Eam ne candidam orbis dubitaret, tergemina calculo suo **Luna** notavit; manè deinde vox probavit pueruli *ad scholas, ad scholas* conclamantis, qui quidem causam clamoris rogatus, tres Principes Doctores natos respondit. Porro **AMBROSIUS** infans manibus captus pedibusque ea vincula in æde **D. Dominici** rupit. Viros Religiosos in nutricum brachiis risu salutabat, nec alio magis quàm imaginum aspectu delectabatur, profanas longè repellens, sacras osculis